



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Octavius Tituli Sanctae Caeciliae Cardinalis de Aquaiua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

illi corona Iustitiæ: Sancti scilicet denominatio, quam per Sanctitatem Vestram ei reddendam esse non dubito.

Franciscus Tituli Sanctæ Mariæ in Via
Cardinalis Albitius.

Prorractus est, Beatissime Pater, non sine Spiritus Sancti instinctu, rei arduæ, atque difficillimæ exitus; ut à Sanctitate Vestra, quæ Patronum, & Protectorem agnoscit Augustinum, Filius Augustini in Sanctorum numero collocetur. Sanctitas ergo Vestra, quæ veluti iure clientelæ, Religiosam sanctissimi Patris familiam pluribus beneficijs cumulavit, quæ eius templum non modò instauravit, sed magnificentissimè extruxit; hunc illi sacrum honorem addere non dubitet: ut Cæli latentur; exulet Terra: & Vestræ Sanctitati inuicem gratulentur. Præclara etenim merita, & heroicæ virtutes Beati Thomæ id exposcunt; illa præsertim in proximum proluxa charitas; illa in egenos profusa liberalitas. Nam qui in peccatores, & pauperes misericors est, is Deus est. Sanctitatis Vestræ pietas id suadet; temporis denique ratio exigit, ut hisce diebus, quibus, abundante nequitia, Charitas refrigescit, vera Charitatis Imago, Te iubente, Te Duce, Te triumphante, Beatissime Pater, ducatur in triumphum.

Obstavius Tituli Sanctæ Cæcilie Cardinalis
de Aquaviva.

Cum Beatus Thomas de Villanova miraculorum præstantia fulgens, & Charitatis ardore coruscans, Divini amoris Cereus, vno omnium ore consueverit appellari, iure merito per Sanctitatem Vestram, cui datum est, clauibus Regni cælorum, Cœlituum choros penetrare, & regnantes in gloria, sanctioris cultus corona decorare; lumen idem diu sub modio positum, super Candelabrum publicis in aris exponendum censeo, ut luceat omnibus, qui in Ecclesiæ Domo sunt. Ipse enim virtutum radijs emicans sydus, terris ereptus in Occidente, adorabitur

oriens super Montes, quos operiet non umbra, sed lux sanctitatis eius, eritque sicut stella in perpetuas æternitates.

Flavius tit. Sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chifius.

Beatum Thomam de Villanova, Archiepiscopum Valentinum, ob eius excellentem doctrinam, profundam humilitatem, eximiam in pauperes Charitatem, exactam claustralis vitæ, & in Episcopatus dignitate irreprehensibilem obseruantiam, dignum censeo, qui à Sanctitate Vestra Sanctorum numero adscribatur. Fuit verè Deus mirabilis in Sancto suo, cum per eius manus claudi ambulent, cæci videant, ægri sanitati reddantur, leprosi mundenur, & mortui resurgant. Sunt omnia mirabilia Dei, qui operatur magna solus, & constituit curantem, & fidelem seruum ad custodiendam familiam suam.

Camillus tituli Sancti Marcelli Cardinalis Meltius.

Debentur Beato Thomæ de Villanova Archiepiscopo Valentino cœlestes honores, Beatissime Pater, qui dum in terris ageret, terrena cuncta despexit, vt Christum lucrifaceret, cœlestique Regno potiretur: qui omnium virtutum vsu, in Christiana militia diù, multumque promeruit; donec coronam pulchritudinis Cœli Regnatoribus dignam, posuit in capite suo. Ea enim in primis exarsit in Deum charitate, vt meritò Diuini amoris Cereus appellaretur; tam impensè proximum dilexit, vt se ipsum hostiam pro populo suo non semel, viuus, & moriturus obtulerit. In amorem pauperum tam effusus semper, diem clausit extremum, vt ne lectum quidem, in quo moriens iacebat, sibi reseruauerit, nec posse se à carnis vinculis existimauerit absolui, vt euolaret ad Cœlites, si vel pecuniæ minimum, non erogatum egenis, reliquisset in terris. Tantus igitur Vir, tam magnus Heros in Sanctorum virorum album meritò est referendus, qui supra-

morta-